

P S A L M . L X .

nobis, Apostolo teste, ad Heb. 9. In hebræo est, sedebit, siue sedet in æternum in conspectu Dei; ut intelligamus, Christum permanere sedendo, ut decet Regem, non afflēdo more Ministrorum. Misericordiam, & veritatem eius quis requiret? id est, misericordiam, qua redemit genus humanum; & veritatem, qua promissa seruauit, & seruat, quis inuestigabit? Sunt enim abyssus multa, ac vt Apostol dicit ad Ephes. 3. Charitas Christi supereminet scientiæ, id est, maior est, quam intelligi possit. Ita exponunt Theodoreetus, & Euthymius. S. Hilarius, & S. Hieron. hunc sensum esse volunt, Misericordiam, & veritatem eius nemo requiret, quia præsto erit omnibus. In hebræo

¶ habetur, Misericordiam, & veritatem para, seruabunt eum. Sed Septuaginta vocem man, para, legerunt, mi, quis. & verbum, natsar, quod significat seruare, ipsi interpretari solent, scrutari, ut perspicuum ex Psalm. 118. v. 2. & alibi sæpè. Itaque dubium esse non debet, quin significet etiam querere, inuestigare, scrutari: alioqui non tam constanter Septuaginta viri doctissimi ita redderent: sed mirum est, quam variè legant Patres pronomen additum in hebræo. nam Sanctus Hilarius legit, Quis requiret eorum. Sanctus Augustinus, Quis requiret ei. Sanctus Hieronymus in commentario, Qui requiret eius; at in versione ex hebræo legit, eum. Septuaginta omiserunt pronomen in fine verbi; sed addiderunt ad nomen, veritatis, veritatem eius quis requiret. Et sine dubio versio Septuaginta Interpretum optima, & clarissima est. Ad literam ex hebræo sic verti deberet, Misericordiam, & veritatem quis requiret eum? & sensus est, Misericordiam, & veritatem quis requiret ab eo, vel in eo? quem sensum optimè reddiderunt Septuaginta, dicentes, Misericordiam, & veritatem eius quis requiret?

VIII. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi: ut reddam vota mea de die in diem.

Quia misericordia Domini Christi tam

abundanter mihi adest, & veritas eius tam certa est, vt nō sit opus eam requirere; ego sic psallam nomini tuo in sæculum sæculi, id est, laudabo te Deum meum, non hic in terris tantum, sed etiam in cœlis, æternis hymnis, & canticis celebrabo: ut hoc modo reddam vota gratiarum actionis de die in diem. i. omnibus diebus præsentibus, & futuris, usque ad eum diem, cui nox nulla succedit. Potest etiam sic accipi, sic psallam voce nomini tuo semper, ut etiam opere impleam promissa mea, legem tuam semper, & ubiq; seruando; sed prior expositio, quæ sancti Hilarii est, magis probatur.

P S A L M . L X I .

Titulus, & Argumentum.

In finem pro Idithum, Psalmus Dauid.

DE hoc titulo diximus in explicatione Psalmi tricesimi octavi. Argumentum Psalmi est exhortatio ad patientiam in aduersis, & confidentiam in Deo; cuius occasione agitur de vana confidentia in disiutij.

EXPLICAT. PSAL. LXI.

NONNE Deo subiecta erit anima L. mea? ab ipso enim salutare meum.

Vir iustus grauiter impugnatus à concupiscentijs variis, quarum quælibet animum humanum sibi subiicere satagit, fortiter reluctas clamat, Nonne Deo subiecta erit anima mea? id est, nonne æquum est, & mihi utilius, vt Deo subiicte, quam dominatiui auaritiæ, vel superbiæ, vel luxuriæ? ab ipso enim salutare meum. Nam concupiscentiæ, quæ mihi dominari affectant, nullum stipedium aliud polliceri possunt, nisi mortem sempiternam. Deus autem salutem pollicetur, & certiss. mē præstabit, si fidelem illis subiectionem, & obedientiam exhibeo. In hebræo ad literam legitur, Attamen ad Deum silebit anima mea, quia ab ipso salus mea. sed idem est sensus; est enim ac si dicat, quamvis multa mihi dominari yclint, tamen anima mea soli Deo subiecta